


... Joannis: Quaestio de angina.

QVÆSTIO DE ANGINA

A

M. JOANNE TONSKI
MEDICINÆ DOCTORE

Publicè ad disputandum

Pro loco inter Medicinæ Doctores, in Academia Cracouiensi, Obtinendo.



In Augusto Iagellonianæ Domus DD. Theologorum Lectorio. Anno Domini 1648. Mense Aprili Die 21. Hora 13.

PROPOSITA.

CRACOVIÆ,

Apud Lucam Kupisz, S. R. M. Typogr.



COELESTI

CORPORIS

&

ANIMÆ

ARCHIATRO.

Sacrum eſto.





QVÆSTIO

VTrum Angina ſit faucium inflammatio, ortum ducens à ſanguine, é venarum jugularium ramis, in eas effluente, difficilem reſpirationem, deglutitionemque faciente, & pro ratione Indicationum, inſtrumentis Therapeuticis curari poſſit: nec ne?

CONCLUSIO I.

Angina est faucium inflammatio.

COROLLARIUM.

1. *Angina est morbus compositus, ex magnitudine aucta, & intemperie.*

2. *Subjectum ejus sunt fauces, siue supremæ gulæ, & gutturis partes.*

3. *Laboranti anginâ inflammari isthmum, & paristhmia est necesse.*

4. *Non tantùm extimæ, sed intimæ etiam partes faucium afficiuntur.*

5. *Etsi os hyoidis, ad pharyngam referri non negemus, ostocopiam tamen ejus, citra Anginæ morbum esse posse, probè noscimus.*

6. *Ab hoc affectu excludimus Eparmata, tàm secundùm* Hyppocratem, Comm. 4. in 6. de morb. vulgarib. 1. *quàm secundùm* Galenum 3. de Comp. Med. loc. C. 2. *accepta.*

CONCLUSIO II.

Angina ortum ducit à sanguine, è venarum iugularium ramis, in fauces effluente.

CO-

COROLLARIVM.

1. Causa proxima Anginæ est Phlegmone, remota autem sanguis : quandoque à fungorum venenatorum, aut aconitorum esu, proficiscitur.

2. Non nunquam ducit ortum Angina à materia pituitosa, seu tumore œdematoso, vel scyrho fauces occupante, sed talis est jam notha.

3. Nomine sanguinis non tantùm purum, sed etiam biliosum, pituitosum, atque melancholicum intelligimus.

4. In sententia Haruei, circularem motum sanguinis in animalibus asseuerantis, non ex venis jugularibus, sed ex arteriis Carotidibus, fluere sanguinem ad fauces, dicendum foret, congruenter.

5. Affluxus iste sanguinis in fauces fit, vel per modum attractionis, vel per modum transmissionis.

6. A vertebrarum colli luxatione, sequi posse Anginam exquisitam ; sicut & ex Angina, quandoque luxationem dependere, arbitramur.

CONCLVSIO III.

Difficilis admodùm fit, cùm respiratio, tùm deglutitio in Angina.

COROLLARIVM.

1 *Non ergo negandum est, Anginam esse etiam ex ordine symptomatum actionis læsæ, tàm naturalis, quàm vitalis, in diminutione.*

2. *Ratio diuersarum partium, magis vel minùs inflammatarum, facit illas quatuor Anginæ differentias. Cynanchen. Paracynanchen. Synanchen. Parasynanchen.*

3 *In tantùm subinde læditur deglutitio, vt aboleatur penitùs, ægro aquam sumptam per nares egerente.*

4. *Imminentis anginæ suspicio est, vel colli ad motum pigritia, sine causa manifesta; vel in deglutiendo, aut respirando molestia; vel calor & dolor faucium; vel denique si populariter eam grassari contingat.*

5. *Præsentis Anginæ est signum certissimum, præsenti conclusione expressum, citra tamen thoracis, & pulmonis vitium.*

6. *Periculosissima est omnium species, quæ Cynanchi à Græcis appellatur, lethalisque omninò euadit, si circa os spuma apparuerit.*

CON-

CONCLVSIO IV.

Poteſt Angina curari inſtrumentis Therapeuticis, pro ratione elicitarum Indicationum.

COROLLARIVM.

1. Dogmaticorum curandi rationem amplectimur, Empiricorum ſolam experientiam, & purum Analogiſmum, repudiamus.

2. Habent hîc locum Euacuantia. Reuellentia: puta enemata, glandes, ligaturæ extremarum partium, frictiones, cucurbitulæ, &c. Repellentia. Deriuantia. Digerentia. Maturantia.

3. Sanguis copioſè & confertim, foramine mediocri, è cubito dextro permittentibus viribus, ætate, juſta reſpiratione &c. detrahendus: parcè verò & per vices, in difficillima reſpiratione deducendus eſt, ac ne grauidis quidem parcendum.

4. Poſt venæ ſectionem, eadem die inſtitui poteſt purgatio, ſi periculum ſuffocationis vrgeat, quâ potionibus ex Syr. roſarum Solut: *vel* Violarum *itidem* ſolutiuo: *cum* Electuariis Diaſebeſten, Dia-

Diacatholicon, &c. *commixtis, quâ etiam Enematibus.*

5. Victus sit tenuissimus, jus pulli, aut carnium. Potus, aqua hordei, Syrup: Acetositatis cytri dulcorata. Quòd si penitùs nihil deglutire possit æger, ad clysteres nutrientes confugiendum.

6. In extremo suffocationis ex Angina periculo, ad laryngotomiam tentandam, exempla nos probatorum inuitant Chyrurgorum.






Biblioteka Jagiellońska
stdr0006934